

Dīc

269

K.13.523

DVc 269

Wb. Engelmann t. 1 v. 608

VALE HANOVIAE 7.
SALVE CASSELLÆ

dictum.

Cujus occasione

INVENTA
QUÆDAM HA-
NOICA,

Utrisque dilectissimis suis
Popularibus communicare, se sua
que Studia de meliori commendare, at-
que prioribus benevolam sui me-
moriam relinquere voluit,

PETRUS WOLFART,

Med. Doct.

*In Illustri Schola Patria
Anatomie hætenus & Philosophiæ
Experimentalis Professor nec non utriusque Ha-
novia Physicus Ordinarius. Nunc vero Physicus
Aulicus Hasso-Cassellanus, cum ad stationem
suam novam Capessendam,*

Abitionem pararet,

Anno Christi MDCCVII. die 18. Aprilis.

•••••
FRANCOFURTI AD MOENUM.

Sumptibus AUCTORIS,
& prostat apud JOH. MAXIMIL. à SANDE.

Typis MATTHIÆ ANDRÆÆ.

INSTYTUT ZOOLOGICZNY
POLSKIEJ AKADEMII NAUK
BIBLIOTEKA
NK 43523

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



B. L. S.

D*Estinatus erat in principio
 præsens vilis noster Cona-
 tus, Dissertationi in Illu-
 stri nostro Athenæo Eruditorum &
 Cordatorum Censuræ publicæ submit-
 tendæ, cujus etiam defensionem susce-
 perat nonnemo ex Nobilissimis finiti-
 jam Collegii brumalis sociis. Cum ve-
 ro hic priorem prorsus mutarit men-
 tem, tempus autem instaret quo Pa-
 triæ meæ, à qua quidem in posterum
 loci regione, nunquam vero affectus re-
 ligione abero, VALEDICENDUM erat,
 quod quidem commodissime fieri posse
 præsentis scripto putabam: hinc fa-
 ctum, quod & nostra prima meditatio
 in plurimis valde fuerit quoad for-
 mam mutata. Non amplius B.L. ignora-
 re Te arbitror, quod Serenissim⁹ Princeps
 ac Dominus*

DN. CAROLUS

A 2

HAS-

HASSIACUS MAGNUS,

Landgrafius Hassiæ, Princeps Hersfeldiæ, Comes Catimeliboci, Deciæ, Zigenhainæ, Niddæ & Schaumburgi, &c.

DOMINUS meus Clementissimus, *meam parvitatem, præter ullum meum meritum ex mera sane gratia, ad illustre munus Physici Aulici gratiosissime promoverit, ad quod capessendum etiam nunc alacri pede, Deo Duce, iter meum paro. Ne igitur insalutato hospite Hanoviam meam deseram, meique dilectissimi Populares, quid hæcenus apud illos egerim, & quid Patria nostra cum aliis Terris & Regionibus in Cataclysmo illo universali experta fuerit, quotidie oculis suis usurpare possint, ideo posthabitis propriis Sumptibus Opusculum hocce luci publicæ dare atque ita monumentum extare volui me inter & illos sincere alicujus amicitie & benevole recollectionis. Potuissem equidem valde prolixus esse in tractandis nostris figuratis Hanoicis, recensendo varias, quæ circa eorum productionem & configurationem hodie in genere circumferuntur, Doctorum Virorum sententias.*

tias. Sed nolui proluxa & inutili earundem corrasione tædiosus fieri Lectori, sufficiat ipsi si aliqualem cum veritate tamen convenientem, circa illa hic inveniat informationem.

Quo vero & Cassellani mei Charissimi, qualis apud illos, DEO adjuvante, aliquando sim futurus, experiantur, eodem hoc scripto ipsis SALVE dicere volui. Discant ex eo quod animus mihi nequaquam sit otiosam apud illos agere vitam, sed quod omnem lapidem sim moturus, subinde ex fœcundissimo NATURÆ agro aliquid depromendi, quod & Potentissimi ac Serenissimi Principis gratiosissimæ expectationi, & illorum laudabili desiderio, perveniendi in profundiore rerum naturalium earumque Creatoris laudem & cognitionem, satisfacere aliquo modo possit. Habes hic rationes B. L. totius mei propositi.

Tuum erit benigne de eo judicare & si hinc inde erravero, quod frequentissime, dubio procul factum erit,

Tua humana Correctione me beare. Vale.

A 3

Q. D.



Q. D. B. V.

S. I.



LA nunc, **DEO** nostro
 sint gratiæ actæ, beata vi-
 vimus ætate, ut vix ali-
 quid intactum ac inacces-
 sum relinquat solertia & curiositas hu-
 mana, sed quidquid in abscondito suo
 sinu foecunda rerum naturalium Mater
NATURA fovet, in lucem publicam
 protrahat, nobisque Mortalibus occa-
 sionem sic præbeat, ex Creaturis Crea-
 torem illum, **D. T. O. M.** cognoscendi.
 Sic enim quis Christianus si exteriorem
 saltim terræ statum considerat, & ob-
 servat quomodo omnia ac singula in de-
 centi ordine sunt constituta, & quomo-
 do unum in gratiam alterius sit creatum,
 ita quidem ut citra interitum & ruinam
 totalem neutrum altero carere commo-
 de possit, non statim fatebitur, vel in abje-

abjectissima etiam planta, & quem quotidie pedibus nostris calcamus vilissimo lapide, summi Numinis elucescere summam sapientiam? ita ut mecum in hæc merito erumpat verba:

Heic etiam sunt crede, Dii! Nil Numinis expers,

*Præsentemque canunt parvula
quæque DEum.*

Digna sunt quæ hic adscribantur verba B. Arndii L. IV. Christ. Cap. IV. ita inquentis: Bedencke allhier die Weißheit und Gütigkeit Gottes: Du wirst an jedem Kraut und Blümlein sonderliche Zeichen finden / welche sind die lebendige Hand und Überschrift Gottes / damit ein jedes Kraut gezeichnet nach seiner verborgenen Krafft / so künstlich / so wunderbarlich / so zierlich / daß sie kein Künstler wird nachahmen können. Ja mit der äußerlichen Forme und Proportion zeigen sie oft an ihre verborgene Krafft / denn eines hat die Gestalt des Haupts / ein anderes die Gestalt und Signatur der Augen / das dritte der Zähne / das vierdte der Zungen / das fünffte der Hände und Füße / das sechste des Herzens /

der Leber / der Blasen / der Nieren /
 der Wunden und dergleichen / und das
 liegt da vor deinen Augen allenthal-
 ben. So balden du auf einen grünen
 Rasen trittest / so hast du unter deinen
 Füßen deine Speise und Arzneyen /
 dann in dem allergeringsten Gräslein
 und Sämlein / welches du gar gering
 und unnutz achtest / ist grössere Weis-
 heit Gottes / Kraft und Wirkung
 als du ergründen kannst / denn Gott
 hat nichts Unnutzes erschaffen / darum
 siehe zu / daß du Gott in seinen Wer-
 cken nicht verachtest.

S. II.

Longe vero potentius sese exerit &
 manifestat eadem hæcce divina Provi-
 dentia summaque sapientia, si pau-
 lisper, relicta exteriori Terræ crusta,
 descendamus in intimiora ejus visce-
 ra & videamus quam stupenda &
 omni admiratione digna hæc conti-
 neant **NATURÆ MIRACULA.**
 Non lubet nunc omnia ac singula perlu-
 strare & ad lapidem Lydium sanæ rationis
 examinare. Sufficiet scopo & intentioni
 nostræ si ex Regno Minerali talia nobis
 tractanda sumemus, quæ satis clare vim
 antea

antea dictorum non modo probare, sed & Lectoris animum non parum recreare poterunt. Videbimus enim hic in nonnullis lapidum spectaculis adeo laboriosam ac mira figurarum æmulatione gaudentem NATURAM ut Joyem lapidem inexpertus in ejusmodi rebus juraret, non hic opera NATURÆ, quam potius præstantissimi alicujus artificis representari. Hujus rei documenta nobis exhibent nobilissima illa operum Dædaleorum horrea, Gottorffianum videlicet, Wormianum Hassniense aliaque. Imo idem testantur quæ passim non tantum in Aulis Principum diversorum sed & privatorum ædibus hodie eriguntur & curiosis patent Technicothecæ, de quibus vid. Excellentissimi D. D. Valentini Mus. Museorum.

§. III.

Quæ igitur præsentis nostræ considerationis erunt objectum, sunt nonnulla corpora fossilia figurata, quæ NATALE SOLUM Patriam nostram vel alia proxime huic adjacentia loca agnoscunt, nobisque curantibus, vel de novo in auras sunt protracta publicas, vel ad minimum magis quam alias fieri in ejus-

modi casu solet exculta, dum maxima hominum pars contenta exteriori rerum cortice, talia non necessaria judicat ad excolendum studium naturale, sed plenis buccis tantum crepat, facere hæc ad ornatum, nequaquam autem ad meliorem rerum naturalium cognitionem, sufficere putantes Physico, si de Loco, Tempore, Mundo, sede Animæ aliisque hujus farinae tricis Scholasticis scite differere sciret. Ast quam facile foret, eundo per singula Physicæ membra, demonstrare, ejusmodi homines frivolo hoc suo prætextu nihil aliud intendere, quam ut suæ ignorantia partim patrocinium, partim etiam avaritiæ sordidæ tutissimum præsidium inveniant. Aliam prorsus fovent sententiam cordati Moderni curiosi, dum posthabitis omnibus periculis & sumptibus, hac via solidam stabiliri unice posse contendunt Physicam, quando observationes ex rerum Natura petitas unicum & firmum omnis solidæ & realis Philosophiæ fundamentum constituunt, ad quas impetrandas, non pertimescunt proinde loca adire aliàs inaccessa, rimantur summa cum voluptate profundissimas terræ cryptas, visitant altissimorum

montium cacumina, excitati exemplo Magni istius Polyhistoris Helveti Conradi Gesneri invitantis curiosos in Epistola de lacte & operibus lactariis, his verbis: Constitui posthac, quamdiu mihi vita divinitus concessa fuerit, quotannis montes aliquos, aut saltem unum conscendere, cum in suo vigore plantæ sunt, partim earum cognitionis, partim honesti corporis exercitii, animique delectationis gratia. Quanta enim voluptas, quantæ sunt putas, animi, ut par est affecti, deliciæ, montium moles immensas spectando admirari, & caput tandem inter nubes attollere! Nescio quo pacto altitudine stupenda mens percellitur, rapiturque in summi illius Architecti considerationem. Quibus vero socors est animus, nihil mirantur, domi torpent, non prodeunt in mundi theatrum, latitant in angulo, ut glires per hyemem, non cogitant hominum genus in mundo esse constitutum ut ex ejus miraculis majus quidpiam summum ipsum colligeret Numen. Tanta laborant ignavia, ut tanquam fues, semper in terram aspiciant, nunquam ore sublimi, cœlum intueantur, erectos nunquam

quam tollant ad sydera vultus. Volu-
tentur igitur illi in luto, lucro, & illibe-
ralibus studiis attoniti (addicti) jace-
ant. Sapientiæ Studiosi pergent terrestres
hujus Paradisi spectacula corporis animi-
que oculis contemplari, inter quæ mi-
nime postrema sunt edita, præruptaque
montium fastigia, inaccessa præcipitia,
ad cœlum tendens laterum immanitas,
rupes arduæ, opacæ sylvæ &c. Vid.
fidelissimi hujus sequacis Excellentissimi
J. Jacobi Scheuchzeri descriptio Itineris
Alpini Physico - Medica prima, ubi sta-
tim in principio verba citata legere licet.

§. IV.

Quo vero eo melius hæc nostra figu-
rata ab omnibus ac singulis intelligi que-
ant, & ut omnis eo facilius inter illa evi-
tetur Confusio; operæ pretium facturos
nos putamus, si relictis aliis spinosis &
futilibus circa illorum productionem ob-
errantibus opinionibus, cum hic quilibet
suo videatur abundare ingenio, ea
dispecamus in duplicem classem, alia
adscribendo mero accidentali NATU-
RÆ LUSUI, alia è contra à DILU-
VIO illo UNIVERSALI, quo totam
terram obrutam omnesque ejus excelsos

montes

montes aquis opertos fuisse, ex paginis sacris edocemur Gen. VII. v. XIX. derivando.

§. V.

Priori classi assignamus omnia ac singula illa corpora fossilia, quæ varias figuras, ut Formicæ, Scarabæi, pavonis, piscium aliorumque animalium superficietenus tantum nobis exhibent, quod quidem frequentissime in lapidibus observari suo jam tempore docuit Plinius H. N. L. 37. Præprimis huic negotio parere videntur Athanasio Kirchero Marmor, Jaspis & Achates. Memorabile sane est quod de Achate refert Plinius l. c. quod videlicet Pyrrhoni Regi fuerit Achates, cui Natura insculpsit Apollinem cum Cythara stipantibus novem Musis, certo Macularum ductu ita depictis, ut simul instrumentum cujusvis Musæ emergeret. Vid. Disputat. M. Jo. Jacobi Lungershausen Jenæ habita de Imitamentis Naturæ circa figuras, plura eaque egregia Achatis phænomena exhibens.

§. VI.

Marmora quoque elegantissime esse colorata variasque Phantasiæ nostræ ob-

tru-

trudere figuras, videre licet in variis specimenibus quæ passim ad curiosos transmittuntur, & adeo copiose quidem in vicino nobis Principatu Idsteinensi eruuntur, ut illic ædes sacræ & profanæ iisdem à pavimento ad verticem usque splendescant. Minime vero his cedunt, sive frequenter in illis spectemus occurrentem elegantissimam picturam, sive uberrimum varie coloratorum marmorum proveniunt, illa specimina quæ nuper nobis à singulari quodam Amico ex Principatu Dizensi communicata sunt, & ex quibus Lectoris admiratione præprimis digna judicamus tria illa quæ Fig. I. II. & III. graphice & ad vivum delineata exhibent. Ex quibus Fig. I. integrum caput humanum cum aliis corporis humani partibus haud ineleganter repræsentat. Fig. II. caput Ululæ & Fig. III. tabulas Regionum miro sane NATURÆ artificio sistit. Cum tertio non incongrue fortassis conferendum videtur Marmor illud quod D. D. Behrens nobis describit in Hercinia sua curiosa pag. 134. Tit. XIII. von dem Steinbruch / der Land-Karten Stein genant / hunc in modum: Dieser Steinbruch ist nahe bey denen uns benachbar

nachbarten in dem Hoch-Gräfflichen
Stollbergischen Amt Hohnstein oder
Neustadt gelegenen Dörffern Pe-
tersdorff und Rudigers-oder Riddi-
ges Dorff genant anzutreffen / und
hat den Namen daher bekommen /
weilen die Adern dieses Steines in
grossen Stücken / wie die Flüsse in de-
nen Land-Karten ein Ansehen haben.

S. VII.

De his & aliis hujus generis Naturæ
artificiis si nunc judicium aliquod feren-
dum erit, nemo speramus vitio vertere
poterit, si ad nullam aliam causam effor-
matricem & productricem hic confugia-
mus, quam ad solum supra S. IV. lau-
datum merum Naturæ lusum accidenta-
lem. Accidentalem autem maxime
hunc vocamus, cum proprie de Natura
dici haud queat, quod ludat. Caret
enim hæc omni intentione propria, ut-
pote quæ in effigiandis rebus naturalibus
soli competit Naturæ Naturanti, id est
DEO. Quando igitur Natura hic nobis
ludens dicitur, tunc nihil aliud volumus
indicare, quam fortuitam quandam &
casualem particularum corpus ejusmodi
consti-

constituentium combinationem, & exinde necessario resultantem varium diversorum colorum nexum. Horum diversitas unice siquidem adscribenda videtur, variæ constitutioni pororum & radiorum solarium diversæ illuminationi. Unde postmodum fit, ut oblatis phantasiæ humanæ ejusmodi corporibus figuratis, illa, mox hoc mox illud sibi repræsentari adstruat. Notandum etenim quod judicium hominum in hac vel illa figura certa determinanda valde discrepet, sicut hoc quidem sæpius ipsi fumus experti, ita ut etiam nunc non amplius vereamur adstruere, tales figuras superficietenus tantum apparentes, potius existere in Phantasia humana, quam corporibus figuratis ipsis. An numeramus his merito lapidem Fig. VII. depictum quem inter plurima alia saxa fluviatilia reperimus Anno 1705. ad littus Mœni, non procul à Civitate Patria, cordis figuram ita quidem accurate referens, ut etiam bini ventriculi eorumque figura satis apte discriminentur. Est hic lapis ex silicum ordine fusci coloris, & non nisi ex silicibus minoribus innumeris, armatura quadam margacea cœrulea munitis,

casu

casu conflatus & compactus. Ad Imitationem aliorum Celeberrimorum Virorum haud incongrue vocari in posterum posset, *Silex Cardites Hano-
viensis.*

§. VIII.

Longe vero aliter sentiendum judicamus de istis figuratis fossilibus, quæ ad alteram Classem à nobis jure merito ve relegantur. Hic enim non amplius videbimus fortuitum & casualem aliquem particularum nexum, sed omnia ita concinne & ordine locata & constituta talemque partium essentialium convenientiam cum illis rebus quas repræsentant observabimus, ut vel maxime Oedipo hic sit opus, qui illa aliunde quam ex cataclysmo universali vid. §. IV. derivare audeat. Describemus ex iisdem nonnulla, ut satisfaciamus promisso nostro §. III. facto, & ad finem ea qua poterimus brevitate docebimus, quomodo corpora hæc in diluviana illa strage terris oblecta, variisque aliis corporibus peregrinis admixta, ibidem citra consumptionem totalem, ad nostra usque tempora delitescere potuerint.

Fig. IV. Repræsentat lapidem album calcarium ex cochleis majoribus & minutissimis quasi compactum, ubi apparent cochleæ nondum in lapidem mutatae, ad Moguntiam copiosissime reperitur, noster vero hic delineatus à nobis inventus est præterito anno, cum Swalbaciacidularum bibendarum ergo cum Nobili quadam Persona degeremus, prope Arcem illam ruinofam, **Adolphs Gedictam**, ditionis Idsteinensis. Imo cum nuper visitaremus lapidicinam Bergensem cum Nobilissimis nonnullis nostris Dominis Commilitonibus, eandem feracem admodum ejusmodi figuratorum esse deprehendimus, præter innumera- biles enim elegantissime figuratos coch- litas ibidem vidimus & domum depor- tavimus integras matrici adhuc inclusas cochleas, à prioribus nonnisi ratione co- loris flavi distinctas.

S. X.

Fig. V. & VI. sistuntur duæ minerae ferri ex ferraria Ottweilerensi, ad **Neu Kir- chen** / quarum illa Fig. V. elegantissime exprimit Filicem marem, altera vero Fig. VI. aliam imitatur nobis quidem ad-

huc

huc incognitam plantam. Obtinuimus has mineras, curante venerando nostro Genitore, cum Anno 1706. ad curandam Illustrissimam quandam Personam, iter eo susciperet.

§. XI.

Omni admiratione quoque dignus est lapis calcarius Fig. VIII. exhibitus. Datur hujus copia ad Pagum Langen Diebach / ditionis Isenburgo-Birsteinen-sis. Coloris interdum est subnigri, frequentissime autem cinerei. Inhærent huic lapidi satis copiose conchæ bivalves petrefactæ, uti ex apposito Schemate, quod quidem tres harum continet, clarius patet. Rarissime extra Matricem integræ conspiciuntur, summa tamen adhibita diligentia nonnullas hæctenus impetravimus, quarum etiam haud paucas cum aliis Eruditis Viris jam communicavimus. Vid. Fig. IX. Ratione figuræ accedere omnino videntur ad familiam muscutorum fluyiatilium. Minime vero refragabimur aliis qui conchas suas malunt vocare, conchas bivalves oblongas nudas, doppelte / glatte und langlichte Muschel-Steine.

§. XII.


Fig. X. Exhibet massam ex cochleis, conchis minoribus striatis, pectinibus & lapillis variis ac silicibus compactam & simul cum rebus contentis petrificatam. Utrum hæc referri debeat ad massam illam, cujus mentionem facit Mus. Regium Hassniense pag. 38. an vero accensenda veniat rupibus illis conchiferis, quarum mentionem facit OLEARIUS Pers. Reisz-Beschr. Lib. 6. cap. 13. pag. 728. his verbis: *Ben Targu seynd Felsen / welche wie lauter zusammen gesetzte Muschelen anzusehen / so in Form derer seynd / so die See all dar auswirfft / alle einer Wallnus groß zusammen gebacken / in denen man etliche ganze findet / und zwaren nicht einzelen / dann kein Stück als eine Faust groß / indeme nicht fünf oder mehr Schalen können gezehlet werden / und ist der Stein so hart als Kiez: aliis nobis peritioribus in hacce scientia, cum Natale solum hujus massæ nos lateat, libere dijudicandum relinquimus. Voluimus interim hanc quoque Catalogo INVENTORUM NOVORUM HANOICORUM ideo inferere*

rere

rere, quoniam ejus Copia nobis in Patria nostra Civitate ex liberali donatione aliqujus Amici facta est.

§. XIII.

Fig. XI. & XII. Offertur lapis figuratus tam à parte antica seu convexa, quam postica sive concava. Lapidem hunc nonnulli etiam ex Celeberrimis aliàs Viris hæctenus dixerunt Bufoniten, quo vero jure quave injuria illud fecerint ipsi videant. Nos quod attinet hoc nomen sane minime citra confusionem, hunc inter & illum lapidem qui aliàs lapis Bufonius, Crapaudia etiam nominatur, figurato huic tribui posse, omnibus viribus contendimus, sive respiciamus ad locum ex quo ad nos defertur, sive intueamur formam ipsius tam externam quam internam. Ex quibus postmodum luce meridiana clarius patebit, lapidem hunc nullo modo venditari posse pro altero illo lapide, qui Litophilis dicitur bufonites & describitur lapis filiceus, coloris modo grysei, modo lutei, vel rufi, variis quoque incisuris & punctulis sæpius insignitus, qui in aliis saxis ex eorundem succo puriori, instar fungi, vel verrucæ protuberantis nascitur. Dicitur autem Bu-



fonites, vel Crapaudia, ideo quod figuram cranii sæpe referat, & è capite bufonum veteranorum nasci videretur. Jam vero noster lapis non ex animali illo venenato desumitur, sed invenitur copiosissime & in terra lateritia prope Budingam, in Comitatu Isenburgico. Præterea quod formam concernit, ex omnibus circumstantiis luculenter patet, lapidem hunc ita quidem accurate referre concham quandam marinam, ut vix ovum ovo detur similius. Veniam proinde merebimur, si in posterum lapidem hunc nominandum velimus *Conchiten striatum alatum & punctatum Budingensem*. Coloris intuitu non minus quam & differentis cursus fibrarum, hoc præprimis hætenus constanter observavimus, quod alii ex his lapidibus gaudeant colore flavo, cinereo contra alii, alii iterum habeant longitudinales strias, alii vero transversales. Utrum ex his differentia quædam colligi debeat, judicent alii. Nolumus interim eo audaciæ progredi, ut gloriemur de prima horum figuratorum inventionem. Siquidem non ignoramus, ante nos alios quamplurimos curiosos locum hunc adiisse,

proventumque illorum literis, quamvis justo obscurius, consignasse. Ita enim curiosus pariter ac laboriosus in conscribendis rebus naturalibus Joh. Henric. Senfrid Marco-Bretanno-Francus in Medulla Mirabilium Naturæ eorum mentionem ex Zeilero facit pag. 477. ita scribens: Desgleichen bey Büdingen in der Graffschafft Nsenburg/ gibt es in einem Acker viel Kroten/Stein/ die so wohl auffer/ als innerlich NB. das Gift abtreiben. Haben eine schöne Bezeichnung einer Kroten. De usu interno nihil quidem hactenus nobis innotuit, quamvis omnem illis denegare vix audeamus, hoc tamen audacter asserere possumus, ruricolas nostros maximi facere usum illorum externum in curandis & sanandis Ulceribus & tuberculis vaccarum, boum, præprimis vero Hippiatri eo utuntur in curatione cicatricum equorum. Unde vero hæc virtus sanandi lapidibus hisce competat, an ex insita quadam virtute alexiteria, an vero totum curationis negotium consistat in superstitione quadam & frictione sæpius de die

reiteranda, hujus loci non est ut scrupulose inquiramus.

§. XIV.

Fig. XIII. Osteocola lapis est tophaceus & cinereus: oritur in terris argillaceis & pinguibus. Gaudet figura varia. Sic enim interdum accedere videtur ad formam conchæ, qualis noster delineatus apparet. Alius repræsentat haud obscure Zingiber, unde ab imperita multitudine vocari solet *wilde Ingwer-Zehen*. Videtur autem denominationem suam potissimum traxisse à figura sua cylindrica & concava, qua quodammodo figuram ossis refert, unde etiam fortassis factum, quod Veteres huic lapidi específicas tribuerint vires ossa fracta restituendi vel consolidandi: Interim quicquid in his præstat, sola absorbendi exsiccandique virtute agit. Agitatus sonum edit non secus ac *Ætites* ob arenulas intus conclusas. Colligitur cumulate in Comitatu Hanoviensi ad Pagum *Erbstadt*. In Comitatu Isenburgo-Offenbacensi ad Pagum *Selbold* & in Comitatu Isenburgo-Marienbornensi ad Arcem *Marienborn*.

§. XV.

§. XV.

Fig. XIV. Est lapillus filiceus fusci coloris diffractus, nucleum intus haud ineleganter exhibens. Inventus à nobis est Swalbaci inter innumeros alios lapides non figuratos anno præterito. Si quis hunc lapillum ad Ætiten referre velit, per nos licebit. Animadvertat autem nobiscum, quod materia pariter filicea inclusa hic sit immobilis.

§. XVI.

Fig. XV. Est Concretum aliquod tartareum, Matricem habens terram lateritiam & Porcellanam, pro cuius subtilitate & vario colore pariter mox cinereum mox album apparet. Colligitur ad Pagum *Bischoffsheim* in Comitatu Hanoviensi & ad Pagum *Selbold* in Comitatu Isenburgo - Offenbacensi. Quod si movetur ob terram quam in utero gerit, sonat non secus ac Osteocolla & Ætites. Unde etiam factum videtur, quod Celeberrimus quidam & in hoc Studio versatissimus Vir, hoc concretum ad Ætitis classem referri posse putarit, appellando illud Ætiten immaturum. Aliter vero nuper circa illud nos informavit Vir Excellentissimus ac Expe-

rientissimus Dominus Joh. Georgius Kifner, apud Francofurtenses Practicus felicissimus, Amicus noster singulariter colendus, cui quicquid hactenus in Studio hoc curioso profecimus, libenter hic publice tribuimus, rogantes ut quæ indefessa sedulitate in agro collegit Francofurtensi, pariter cum erudito mundo communicet. Cum enim hic nonnulla à me transmissa Specimina accuratiori subjiceret examini fulgidissimi istius Anglorum Phosphori Johannis Woodwardi, responsum exinde retulit, quod concretum hocce optime dici queat Geodes, quemadmodum ex Epistola nuper ad me data elucescit. Das Concretum von Bischoffsheim scheint gleicher Art mit dem jenigen Aschgrauen zu seyn/welches zu Selbold gefunden wird/nur daß das erstere in einer weisseren Erde lieget/ als das andere. Es ist weder eine Ostecolla (cujus opinionis Defensor ego quidem prima vice eram) noch ein Ætites immaturus, sondern hat mehr den Character eines Geodes, indeme mehrentheils ein erdig Pulver in der Höle und fissuren von demselben gefunden wird. Er wird in

En

Engelland sehr häufig gefunden / allwo sie ihn Rance oder Race nennen / er ist noch von keinem Auctore Historiæ Naturalis beschrieben. Diese Nachricht ist mir von Herrn Professor Woodward aus London gegeben worden. Inferuimus proinde Mus. nostro curioso duplex hocce Concretum sub titulo, *Geodes Bischoffsheimensis & Geodes Selboldensis.*

S. XVII.

Fig. XVI. Truncus Fagi est in lapidem ita tamen conversus, ut ipsius ligni adhuc satis conspicua remanserint vestigia. Ad nos delatus est una cum aliis adhuc considerabilibus portionibus ex Comitatu Isenburgo - Wechtersbacensi, von dem so genannten Raben-Wald und dem Wittgenborner Weyer nicht weit von dem daher so genannten Weyer-Hoff. Rusticis dicitur Steirern Hannbuchen Holz. Audiamus quale Judicium de lignis ejusmodi fossilibus & petrefactis ferat Excellentissimus Scheuchzerns in Histor. sua Natural. Helvetiæ pag. 104. Part. I. ita scribens:

In vielen Mosachten / sumpffichten
 Orten / wann man 3. 4. Schuh tieff
 gräbt / findet man ganze Lagen
 Holz / in der Wiesen genant Kellen
 in dem Baltikumner Ried in dem
 Krußelen / Moos / und Moos-Äcker
 auf dem Hirzel / Züricher Gebiets /
 und anderen dergleichen Orten. Von
 dergleichen unterirdischem Holz fin-
 den sich vielerhand Meynungen;
 Viel wollen / es wachse also in der
 Erden / andere daß es dorthin ge-
 schwemmet werde / durch grosse Was-
 ser-Äüssen / da Sand / Stein /
 und Erden über einander gehäuffet /
 und etwan Bäume und Stauden
 darunter vergraben werden; Andere /
 daß an dergleichen Orten die Bäume
 von starcken Winden ungeworffen
 worden / oder ein ganzer Wald in
 tieffen Morast versunken: Wieder-
 um andere halten es vor eine Wir-
 ckung eines Erdbidens / durch wel-
 ches ein Stück Landes eingesunken.
 Endlich sind nicht wenig Gelehrte in
 der Meynung / daß diese Begebenheit
 mehrmalen herzuzeiten seye von der
 Sündfluth selbst / und bringen
 Gründe

Gründe die nicht leicht umzustossen /
und auch wir anderstwo in mehrern
ausführen werden. Haftenus Scheuch-
zerus, cui quoad ultimam opinionem
subscribere non hæsitamus.

§. XVIII.

Fig. XVII. Est Nummus argen-
teus tenuissimus repertus in agro Hano-
viensi a Rustico quodam ad Pagum Dor-
nigheim.

*i. e. v. r.
Jesens
partem
Moyne
nat.*

§. XIX.

Fig. XVIII. XIX. & XX. sistunt
ossa Fossilia Anno 1705. in Comitatu
Isenburgo-Marienbornensi prope Arcem
effossa & reporta, occasione remoti
montis pro commodiori exstructione fa-
tis splendidæ villæ, curante Illustrissimo
ac Excellentissimo Comite Domino
CAROLO AUGUSTO,
Domino nostro Clementissimo, ad quem
hæc ossa sunt delata & postmodum no-
bis gratiosissime donata. Et dolendum
sane est, quod ob inscitiam & incuriam
operariorum ita discerpta & neglecta
fuerint

fuerint ossa integri procul dubio ibi hu-
 mati sceleti, ut non nisi quædam fragmen-
 ta, Illustrissimus, sero nimis expertus,
 eorum hodie impetrare potuerit. Ex
 quibus hac occasione Curioso magnum
 illud os Fig. XVIII. una cum duabus
 dentium uti videntur molaris Fig. XIX.
 & incisiorum portionibus Fig. XX. ad
 vivum delineari curavimus. Dicitur non
 potest in quantum contentionis serra
 agitari incœperit inter Eruditos, quam-
 primum ejusmodi ossa lucem aspexerunt
 publicam. Nostri instituti ratio non
 permittit Doctorum aliorum scrinia com-
 pilare & videre, qualem opinionem qui-
 libet expresse foveat, acquiescimus in
 Herculeo illo, quem pro conficienda hac
 lite masculè & intrepide in se suscepit
 Celeberrimus Joh. Samuel Carl, lapide
 Lydio Philosophico-Pyrotechnico, ubi
 ad oculum demonstravit ossa hæc non
 amplius agnoscere causam efficientem
 macram quandam Terram Margaceam,
 sed vel maxime pertinere ad Regnum
 Animale, & non nisi verissima esse ani-
 malium ossa. Notandum autem quod
 duplex hæc opinio maxime hodie adhuc,
 rejectis reliquis omnibus, inter Eruditos
 vigeat

vigeat ac floreat, quatenus alii statuunt ossa hæc pertinere ad Regnum Minerale alii è contra cum quibus & nos facimus melius illa restringunt ad Regnum Animale. Potiora vero persuasoria modo laudati Celeberrimi Viri Argumenta, hæc potissimum esse videntur. I. *Ossa*

talia non modo veram structuram, sed & veram mixtionem ossium animalium habere deprehenduntur. Mixtionis hujus veritatem expertus est, ex contentis, qualia sunt (1.) terra calcaria etiam vitrescens, (2) pinguedo & oleositas, & denique (3) aquositas. Hæc autem mixtionis principia ossibus revera inesse exinde infert, quoniam 1. eadem producta, quæ recentia ossa pyrotechnia examinata offerunt, exhibeant; uti sunt, *a*, Sal volatile fluidum & solidum crystallinum: *b*, Oleum empyreumaticum, *c*, Sal alcali fixum, *d*, Vitrum lacteum. II. *Quod eadem phenomena & experimenta præbeant, sc.*

1. Alterationem diversam in colorem nigrum & album sub igne occluso & aperto,
2. cum imminutione ponderis & fumorum foetidorum exhalatione.
3. Calcinationem à nitro cum subse-

quente

quente hujus alcalifatione, 4. generatio-
 nem ac mixtionem sulphuris mineralis,
 5. reductionem metallorum & metalli-
 corum corporum è calcibus & crocis de-
 structis. Unde tandem ita concludit:
 Quæ quidem argumenta apodicticam
 veritatem manibus palpandam adferunt,
 ossa talia fossilia non esse margam, NB.
 lusum Naturæ, novos foetus archei sub-
 terranei, ita artificiose structuram ani-
 malem imitantis. Vid. ipsius *Ἀνακεφα-
 λαιωσις* argumentativa pag. 115. Quan-
 do igitur adstruimus ossa ejusmodi perti-
 nere ad animalia, nolumus hæc ita inter-
 pretari, ac si absolute assentiamur illis, qui
 ossa hæc nonnisi Gigantum esse audacter
 asserunt, & ex iisdem tale postmodum
 computum instituunt, quod tamen hu-
 manam staturam potius videtur destrue-
 re quam adstruere. Nostra saltim mens
 est primis temporibus, ob varias qui-
 dem tunc obvias rationes homines longe
 vegetiores fuisse ac proinde etiam ad ma-
 jorem altitudinem excrevissè, ita ut haud
 immerito intuitu præsentium temporum
 nostrique status tales pro Gigantibus ju-
 dicari queant. Tales autem revera un-
 quam extitissè clare docet præter alios
 Cele-

Celeberrimus beatus Wagnerus in Hi-
 storia Naturali Helvetiæ curiosa, pag.
 146. ex qua, cum satis rarum hoc scriptum
 aliàs esse soleat, in gratiam Curiosorum
 sequentia tractatulo nostro inferimus:
 Gigantes vero quoque seu immensæ mo-
 lis homines in Helvetia olim extitisse, fa-
 cile est probare. Theutobocchus seu
 Teutobecchus Dux Tigurinorum, Am-
 bronum, Cimbrorum atque Theuto-
 num, Vir erat proceritatis eximiæ & su-
 pra trophæa eminebat L. Florus L. III.
 cap. 3. It. Orosius Hist. L. V. c. 16. Oc-
 ciscus is est à Cajo Mario Consule Roma-
 no, anno ante Christum natum 105.
 Tumulus autem cui nomen Teutoboc-
 chi inscriptum fuit Anno 1613. ad ca-
 strum Langon, oppidum Delphinatus,
 repertus fuit. Longitudo Tumuli XXX.
 pedum erat, ossa vero in eo contenta
 longitudinem XXV. pedum excedebant:
 Monstruosi ejus erant dentes: quippe qui
 pedem bovis bimuli adæquabant, &
 unusquisque ex majoribus XI. pendebat li-
 bras; quælibet quoque spinæ dorsi ver-
 tebra ad dimidii pedis longitudinem ac-
 cedebat. Historiam peculiari libello
 eodem anno publicavit testis oculatus

Jacobus Tissot. de hoc ipso Doctiff.
 D. Chiffletius Vefontionis part. I. cap. 47.
 ita differit: Ossa Teutobochi Cimbro-
 rum Regis, Anno 1611. [melius 1613.]
 reperta sunt in agro Viennensi, [Gallia]
 non procul ab oppido beaurepaire, tan-
 tæ magnitudinis, ut ex dentium & maxillæ
 magnitudine, qui viderunt, collegerint
 à mento ad verticem, sex ad minus pe-
 dum altitudinem habuisse, ex quo to-
 tius corporis prodigiosam proceritatem
 conjicere quis potest. Nobilissimus Pei-
 reskius tamen, tumulum hunc Teuto-
 bochi fuisse in dubium vertit, & allatis
 rationibus, ossa hæc potius Elephantis
 ibi humati fuisse contendit, prout
 apud Gassendum in vita Peireskii L. III.
 videre est. Ita superioribus adversus
 Venetos, Avars, Hunnosque bellis,
 cum Suevis & Bois, interfuisse Gigan-
 tem, eumque sub Carolo Magno me-
 ruisse reperio. Nomen ipsi Ænothero
 (Einher) quod exercitum æquiparet,
 fuit. Ortus ex Durgia (Turgoia) pago
 Sueviæ, [hodie Helvetiæ.] Flumina
 quæ pontibus juncta non erant, post se
 equum suum trahens, superare solitus
 fuit, adjecto in reluctantem lori pedem
 hoc


hoc joco: Ita meus DEus adjuvet me, vel ingratus sequare necesse est. Is Venetos Avaresque in modum fœni demettebat, & in morem avicularum hasta velut cuspide fixos, humeris suspendebat. Cumque domum reversus à popularibus (uti fit) de successu belli & de conditione ac viribus hostium quæretur: quid multa de istis ranunculis [indignabundus inquit] commemorem, ego interdum septem octove, interdum & novem hasta mea transfixos nescio quid coaxantes ultro citroque tuli. Neutiquam operæ pretium fecimus, nec quicquam Augustus & nos ingenti impendio adversus ejusmodi vermiculos arma promovimus. Tantulum bellum quod nobis sumpsimus, minoris multo constare potuisset. Hæc Aventinus Hist. Bojar. l. IV. pag. 208. & Conradus de Mure, Canonicus Tigurinus, qui ætate Rudolphi Habsburgici floruit, de gestis Caroli Magni Msc. Quid dicemus de Gigante illo, cujus ossa ad Pagum Reyden ditionis Lucernensis Anno 1577. effossa sunt? Audiamus D. D. Felicem Plate-rum observat. Medic. L. III. cap. 586. Cum Lucernæ, inquit, Anno 1584.

Men-

Mense Julio degissem, accidit, ut mihi ossium quorundam fragmenta, immensæ magnitudinis, quæ in curia asservabantur, Senatores demonstrarent, quæ in ditione eorum, non procul à cœnobio Reyden, in montis vicini specu, sub annosa quercu, vi ventorum dejecta, inventa, collectaque, atque eo delata fuerunt. Quæ cum considerarem, atque è minoribus pleraque, & ex illis quæ tenuibus laminis constant, ut sunt Calvariæ ossa, carie vetustateque consumta, vel quia comminuta neglectaque erant, quam portiones majorum ossium, licet exesa & fungosa leviaque essent, quantum cognoscere potui, humanis ossibus respondere observavi, atque mox qualia essent, singulis inscripsi; eoque magis Gigantis alicujus ossa fuisse, ex eo collegi, quod pollicis os infimum inter ea invenerim, nec non molam, dein & calcis os, scapulasque cum clavícula, quæ tantum in homine ea forma deprehenduntur. Ad hæc & longa & crassa ossa femorum, tibiæ, humeri & brachii, quorum extrema cum capitibus gestabant, ab humanis ossibus, forma nihil differebant. Quæ omnia mihi occasio-

nem

nem præbuerunt, ut cum singula ad me Basileam hæc ossa, Magistratus illius loci jussu, transmissa essent, ea diligentius inspiciens, & cum sceleti mei ossibus conferens, magis in ea sententia confirmarer, atque ad sceleti mei ossa, majora hæc & confracta conferendo, integrum Sceleton, tantæ magnitudinis, quantam ossa, si integra fuissent, effecissent, delineari & depingi curarim. Quod Sceleton decem & novem pedes longitudine adæquat. Inde cum nullum animal quadrupes tantæ altitudinis inveniatur, magis ossa illa Gigantis alicujus fuisse probari potest. Ossa hæc in eadem curia adhuc dum hodie asservantur, delineatio quoque Gigantis ibidem depicta videtur, ubi & sequens inscriptio legitur. Delineatio sceleti Gigantis, cujus ossium portiones aliquot, veluti femoris, tibiæ, scapularum, vertebrarum, ossis sacri, coccygis, navicularis, costarum calvariaque fragmenta, pollicis quoque secundum os atque calx, mala item integra fere [è quibus & tanquam illis, quæ in homine longe aliter quam in cæteris animantibus formata sint, humani corporis hæc



ossa fuisse, præcipue indicium desumptum fuit] in ditione Lucernensi Helvetiæ, juxta vicum Reiden, quercu antiqua dejecta, sub illa inventa, Senatuique Lucernensi transmissa, & ad horum dimensionem reliqua totius Sceleti ossa, quæ ut aberant, nec non absoluta erant, à Felice Platero, ordinario Basileensi, ad imitationem veri Sceleti delineata, atque à Johanne Bock Pictore Basileensi depicta, Illustrissimoque Senatui Lucernensi præsentata fuerunt, Anno Salutis 1584. Julio Menfe.. De his ossibus prolixè quoque differunt Cysatus, descript. Lacus Lucern. cap. XXVII. pag. 106. & seqq. Athanasius Kircherus in Mundi subterranei Tom. II. lib. VIII. cap. IV. & Cl. Lambecius Bibliothec. Vindobonens. Lib. VI. pag. 313. In Vallis Freel [apud Volturenos] planitie campus quidam est, Campus de Luco, ob vicinum nemus vocatus. Nulli unquam ibi visuntur flores. In hoc loco conflictum magnum contra Arianos, tempore divi Ambrosii, Episcopi Mediolanensis, contigisse affirmant: ejusque rei aliqua nostro etiam tempore apparuere vestigia; arma ete-

nim diversi generis ibi inventa, ossaque humana, quæ Giganteam staturam representant. Ita Sprecherus Palladis Rhæticae lib. X. pag. 276. Gulerus descript. Rhætiae lib. XI. pag. 171. Nostro quoque tempore ad arcem uticonam agri Tigurini, ex tumulis, rupibus tophaceis incisis, ossa eruta humana, magnitudinis prope incredibilis. Hæc Wagnerus. De cujus proluxa licet relatione nihil prorsus omittendum putavimus, cum ob rationem supra datam, tum ob plurima notatu dignissima in illa occurrentia & ad majorem certitudinem nostrorum assertorum apprime facientia. Cuivis interim sicut in reliquis lubentissime, ita & in hoc sensu suo abundare, concedimus, dummodo hoc à nobis jam sit evictum, ossa nostra minime ex Regno Animalis esse excludenda, quod quidem satis superque præstitum esse speramus.

S. XX.

Nunc nihil superesse videtur, quam ut modum viamque paucis adhuc de-

monstramus, quomodo corpora hæc fossilia terræ ita fuerint concreta variisque corporibus, v. g. Metallis, lapidibus, arenæ, terræ margaceæ &c. admixta. In quo negotio conficiendo, vix felicius nos expediemus, quam si respiciamus cum Doctissimo supra citato Woodwardo, ad diluvium illud universale §. VIII. & IV. allegatum, atque concipiamus, durante diluviana strage, globo terrestri ab aquis undique operto, fuisse omnes lapides & marmora Terræ antediluvianæ; Metalla omnia, mineralesque concretiones, verbo, cuncta fossilia, quæ ullam antea obtinuerunt soliditatem totaliter dissoluta, & in particulas nullo nexu coherentes divisa, corpuscula hæc solidorum antea fossilium soluta, juncta corporum non solidorum partibus, Arenæ scilicet, Terræ & similibus; Animalium item, horumque ossium, dentium, conchyliorum; Vegetabilium porro, Arborum, Fruticum & Herbarum; verbo, corpora quævis in Terræ superficie posita, vel Globi hujus massam constituentia [si non ad imam Abyssum omnia, ad maximam saltem,

qua

qua penetrare nobis licet profunditatem] omnia hæc , inquam , Aquis fuisse confusa , & in illis ita sustentata , ut unam communem constituerint massam. Qua ratione autem successu temporis tota hæc terrestrium particularum massa aquis confusa rursus ad fundum fuerit præcipitata. Et quomodo hæc subsidentia convenienter legibus Gravitatis specificæ cujusvis corporis , quantum quidem in tanta confusa mixtura fieri potuerit , prolixius descriptum & probatum est in pretioso incomparabilis hujus Viri specimine Geographiæ Physiçæ pag. 63. & seqq.

§. XXI.

Quod si nunc volupe erit hæctenus tractata figurata fossilia ad hæcce applicare & respicere ad situm eorum naturalem , quem intra terram præcisè observare solent , cujus tamen demonstrationem uberiores commodiori refervamus tempori , citra omnem difficultatem inveniemus , omnia ac singula nonnisi rudera & testes immortales esse calamitosi & funesti diluvii universalis ,

sicut hoc præprimis intelligi volumus de illis quæ Figuris IV. V. VI. VIII. IX. X. XI. XII. XVI. XVIII. XIX. & denique XX. repræsentantur, circa reliquorum ortum iudicium lubentissime paulisper adhuc suspendentes.

§. XXII.

Accedite itaque omnes ac singuli, qui naso adunco suspendere non dubitatis sacram scripturam. quique nefando conatu recusatis Naturam Naturalem, ea qua aliàs nos Christianos decet veneratione profèqui, videte hic quomodo sapientissimus & benignissimus DEUS ex naturalibus hisce vos confundit atque iisdem totidem quasi argumenta omni exceptione majora ob oculos ponit, ita quidem ut etiamsi velitis adhuc in dubium vocare, quæ in sacris literis de Diluvio universalis traduntur, tamen non amplius vos dubitare verè sinant de veritate illius nostra figurata. Percipite, vos obsecro coronidis loco, quæ Acutissimus Scheuchzerus ad vos pag. 89. l. c. loquitur: **Ich preise die allweise Vorsehung**
GDt

Gottes/ welche uns nicht nur in H. Schrift berichtet / Gen. VII, 19. daß die Wasser der Sündfluth über die höchsten Spitzen der Bergen gangen / sondern auch uns immerwährende Denck-Säulen dessen vorstellet auf unsern Alp-Gebirgen / welche die größten und höchsten sind von ganzem Europa. Wer will hieran zweiffeln / wann er auf den obersten Berg-Försten unserer Landen ansiehet ganze Felsen / die von lauter zerbrochenen / auf einander gehäufften und in Stein verwandelten Meer-Muscheln und Schnecken zusammen gesetzt seynd? Kommet hieher ihr Verächter der H. Schrift / die ihr vor eine eitele Fabel haltet / das was in den Büchern Moses von der Sündfluth auffgezeichnet stehet; Lernet hier ihr Gottes Lügner / die stummen Felsen werden euch predigen / die Mauerharte Bergen werden euch / wann ihr je zu biegen seyd / weich machen: Es ist merckwürdig / daß die Historie der so genannten gebildeten Steinen [Lapidum figuratorum] in diesen letzten Zeiten eifriger untersucht / als

jemenen; Aber auch das Gift der Gottes Läugnung und Schrift Verachtung / auf eine so subtile Manier zugerüstet und denen Herzen der Menschen eingeflößet wird / als jemenen. Es ist zwar wahr / daß die Muschel und andere gebildete Steine nach vieler Naturforschere Meinung zugeschrieben werden einer verborgenen Natur Kraft / welche sie also in der Erden gestalte / oder andern und andern Ursachen / von denen zu andern Zeiten ein mehrers soll geredet werden. Es ist aber diese Materie sint wenig Jahren so eifrig erforschet / und die Steine mit den Meer-Geschöpfen so fleißig und sorgfältig verglichen worden / daß nunmehr ein vernünftiger Mensch nicht zweiffeln kan an der Herkunft der meisten so genanten figurirten Steinen von der Sündfluth. Qui- bus etiam nos subscribimus ac pedem hic figimus, Lectorem Benignissimum humanissime rogantes, velit judicium circa huncce nostrum laborem tamdiu suspendere, usque dum prius omnia ejusdem membra & momenta,

citra ullum præjudicium & præconcep-
 ptam opinionem, ea, qua in ejusmodi
 rebus sublimibus decet, attentione
 æqua rationis lance trutinaverit. Nul-
 lus dubitans, quin in posterum, DEO
 benedicente vitamque gratiosissime
 prolongante, majori ejusmodi rerum
 naturalium apparatu instructi, animo-
 que meliùs ad quietem composito, qui
 nunc magis Itineri quam scriptioni in-
 tentus est, simus fortassis ad genium
 & palatum hujus sæculi
 melius scripturi.

T A N T U M:



18
2010
The first part of the book is devoted to the history of the Polish people, from the early days of their settlement in the country to the present time. It is a very interesting and instructive work, and one which every student of Polish history should read. The author has done his work well, and has given us a very clear and concise account of the Polish people and their history. The book is well written, and is a very good introduction to the history of the Polish people.

1810
The second part of the book is devoted to the history of the Polish people, from the early days of their settlement in the country to the present time. It is a very interesting and instructive work, and one which every student of Polish history should read. The author has done his work well, and has given us a very clear and concise account of the Polish people and their history. The book is well written, and is a very good introduction to the history of the Polish people.

Fig: I.



Fig: II.



Fig: III.



Fig: IV.




Fig: V.




Fig: VI.






Fig: VII.



Fig: VIII.



Fig: IX.



Fig: X.



Fig: XI.



Fig: XIV.



Fig: XII.



Fig: XV.



Fig: XIII.



Fig: XVI.



Fig: XVII.



INSTYTUT ZOOLOGICZNY
Polskiej Akademii Nauk
BIBLIOTEKA

Fig: XIX.




Fig: XVIII.



Fig: XX.

St. Inst. Zool. PAN
Biblioteka

K. 13 523.